



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvací, 1625**

De æterna vitæ præmio promerendo. XV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](#)

## CAPVT XIV.

*Defrequentia orandi.*

Luc. 11.

**Q**uoniam oportet semper orare. O quam dulcis & salubris admonitio; quam pura & sancta oratio cælos tægens, & terram deserens: Deo colloquens, & hominibus tacens. Hoc itaq; verbum Christus ait ad Apostolos suos, & ad omnes religiosos. Sicut enim corpus vivit & nutritur cibis terrenis: ita anima sacris verbis & orationibus & meditationibus confortatur. Dat si duciam orandi ingens dolor cordis pro commissis, & humilis confessio oris de perpetratis, cum intentione se emendandi in istis. Nil quippe bona voluntate ditius, & Deo acceptius, & animæ nostræ salubrius. Toties namque Deumoras, quoties pro peccatis tuis gemis & doles. Et quia quotidie peccas, ideo quotidie etiam orate & gemere debes, ac veniam petere pro offendis.

Gemitus  
pro pecca-  
tis, oratio  
est.

2. Multum oras, si multum doles; parum oras, si parum doles. Parum impetas, si parum attendis ad ea, quæ legis & cantas. In multis fit excessus, sed quotidiana oratio & gemitus cordis, cum furore sancti Spiritus expurgat languores hos omnes. Qui non orat & gemit pro culpis quotidianis, pœnam sibi auget in pœnis futuris. Non ergo pigeat semper orare, & Deo devotè gratias agere, quia ipse nunquam cessat nobis benefacere.

3. Ideo nullus locus, nullum tempus, nullum opus, nullus labor, nullus dolor ab orando nos impedire debet: super quos Deus oculos suos apertos hic & vbique semper habet. Quoties enim Domini Deitui recordaris & gemis, toties cum eo leciet loquaris & oras. Si non potes semper voce orare, poteris tamē & debes mente & desiderio ad Deum clamare, gemere, & plorare. Semper enim Deum orat, qui semper bona cogitat, bona loquitur, & bona facit ad honorem Dei. Amen.

## CAPVT XV.

*De aeterna vita premio promerendo.*

Matth. 5.

**E**cce merces vestra multa est in celo. Omne gaudium præses breue est, & heu multis malis inuolutum: regnum autem Dei gaudio semper plenum & æternum, supra omnem sensum & intellectum eleuatum. Hoc nullus tibi dare potest nec auferre, nisi solus Deus creator omnium iudex viuorum & mortuorum, reddens singulis pro meritis operum suorum. Propter hoc regnum consequendum, promerendum, & æternaliter possidendum; fortiter est certandum, laborandum, alacriter vigilandum,

&amp;

& seruenter orandum: s<sup>æ</sup>pe ieiunandum, s<sup>æ</sup>pe gemendum, s<sup>æ</sup>pe  
ingendum, s<sup>æ</sup>pe confitendum, s<sup>æ</sup>pe communicandum; deuotè  
ministrandum, deuo<sup>t</sup>e celebrandum, deuotè psallendum; dili-  
genter studendum, strictè silendum, libenter seruiendum,  
promptè obediendum.

2. Patienter omne graue ferendum, omne carnale citò re-  
spuēdem, omne seculare vbiique vitandū, omne turpe fugiendū,  
omne honestum se<sup>t</sup>randū, omne vitiosum odiendum, omne  
virtuosum amandū; omne curiosum amputandum, omne sim-  
plex & purum eligendum: omne terrenum relinquentum, omne  
cælestē & diuinum summè amplectendum. Hæc est via vitæ cæ-  
lestis, & formula renuntiationis seculi in statu religionis; du-  
cens parulos, mires, & castos, ad æternæ vitæ beatitudinem,  
& gloriam sanctorum æternaliter cum Christo perfruendum.  
Amen.

DE  
ELEVATIONE MENTIS  
AD INQUIREN D V M  
S V M M V M B O N V M.

## C A P V T I.

**I**VATE & videte, quoniam ego sum Deus. Ecce, in quo ro-  
te Deus meus, non per sensus corporeos, neque per sen-  
sibiles imagines; sed in me super rationes intellectuales, vbi tu  
lutes intellectui meo veritas æterna, bonitas immensa, incom-  
prehensibilis claritas; omnem creaturæ comprehensionem ex-  
cedens, omnem acciē mentis repercutiens, & super omnes cæ-  
lestes spiritus secundam quidditatē te incognitē seruans; & ta-  
men secundum cuiuslibet beati spiritus capacitatem, te totum  
communicans, atque omnibus & singulis infinitam deitatis tuæ  
gloriam, & superefficiente naturæ tuæ substantiam manife-  
stans.

2. O Trinitas unus verus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus  
sanctus, æterna gloria & summa beatitudo sanctorum, omnium-  
que cælestium virtutum æterna fructio. Ex quo omnia, per quæ  
omnia, in quo omnia procedunt, consistunt, & terminantur. No-  
tas mihi fac vias tuas, & semitas tuas edoce me; quoniam viæ

B b b 3

tuæ